

*hinc Martini  
vel potius*  
Cologne, 1617. Dedicace à Bellarmin par l'éditeur Kinkius. 1802<sup>a</sup>  
-----d'un ouvrage écrit par André Eudémon-Joannes SJ

Illustriss. ac Reverend/mo Domino D. Roberto S. R. E. Cardinali  
Bellarmino, Domino ac Patrono colendissimo. 1802<sup>a</sup>

Reverendissime et Illustrissime Domine, Ut haeretici ad oppug-  
nandam, et, quod in ipsis est, evertendam fidem Catholicam machinas  
5 omnes semper adhibuerunt, et his etiam temporibus adhibent; ita vi-  
cissim aequum, pium, ac necessarium est, ut in ea defendenda, atque  
impiis et erroneis Sectariorum dogmatibus detegendis ac refutandis  
Catholici Doctores ac Prelati nulli labori ac sudori parcant: Tuo  
imprimis Illustriss. Card. Exemplo; qui scriptis toto orbe celebra-  
10 tissimis omnes fidei Articulos ita nobis enucleasti, ita haereti-  
corum errores refutasti, ut nemo, nisi volens, in rebus ad religio-  
nem pertinentibus caecutire possit. Fecit hoc idem, sed alio fare  
scriptorum genere, optimae ac beatiss. memoriae Illustriss. Cardinalis  
Baronius, eruditissimo illo, et ad Catholicae fidei tam antiquitatem,  
15 quam puritatem ostendendam munitissimo Annalium Ecclesiasticorum  
Propugnaculo, immensis laboribus concinnato. Utrique temerario sta-  
tim ausu parati fuere ex haeticis adversarii, qui per vestra la-  
tera Catholicam Ecclesiam peterent; sed eo eventu, ut tam vestra ip-  
sorum, quam aliorum opera, invictis Veritatis argumentis victi ac  
20 profligati, inscitiam suam ac malitiam magis prodiderint, quam vel  
causae bonitati, vel nominis vestri existimationi, ac splendori quid-  
quam derogarint. Inter hos esse voluit Isaacus Casaubonus; cujus  
repente e Grammatico Theologi facti, et virulento calamo magnum il-  
lud magni viri, Cardinalis, inquam, Baronii Annalium Ecclesiasticorum  
25 opus perstringere ac carpere aggressi, inscitiam ac calumniandi li-  
bidinem R. P. Andraeas Eudaemon-Joannes, eximias e Societate Jesu  
Theologus, hoc libello apertissime et ad oculum ostendit. Is li-  
bellus scriptus Roma superioribus mensibus ad me missus quum eodem  
sed industria typographi, aliquanto ornatior remittendus esset: ido-  
30 neum judicavi cui et humilis meae erga Illustriss. V. D. ob summa ejus  
in Catholicam Ecclesiam, et bonos omnes merita, testandae observantiae

/ et ob praestitum nuper fratri meo beneficium grati animi declarandi partes demandarem; ratus hunc ipsum illustr.V.D. non ingratum fore, quod et in eo disputandi argumento versetur, in quo illa iam dudum omnium iudicio palmam obtinet; et sanctissimi illius viri, tam  
 5 in dignitatis quam laborum societate collegae quondam amantissimi scripta ac memoriam a calumniis vindicet; quod denique conscriptus sit a Theologo ejus Societatis, cujus Illustr.V.D. ut suum decus, ita non vulgare est praesidium. Hunc meum affectum atque conatum ut Illust.V.D. bonam in partem accipiat, meque ac fratrem porro fa-  
 10 voris sui aura prosequi non dedignetur, humiliter rogo atque oro: ut qui sum atque aeternum ero

Illustriss/mae V.D.

humilis et devotus cliens

Joannes Kinckius

/h

civis et bibliopola Colon.

15

---

Defensio Annalium Ecclesiasticorum Caesaris Baronii...auctore R. P.Andrea Eudaemon-Joanne Cydonio etc. Coloniae Agr. MDCXVII. Epistola dedicatoria.

*R. P. Andrea Eudaemon. Joannis e S. J., Refutatio Exercitationum Jacobi Caraboni Libris 2 comprehensa. Ad ill. n. et m. n. S. Rob. S. A. S. Cant. Bellan. Colon. Agrippian apud Joannem Kinckian sub hoc ante. Anno 1617*

*Bibl. PUS III 58D.*